



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis  
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de  
Antverpiae, 1610**

32 De clericis primæ tonsuræ cœlibibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96570](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96570)

coniugati iure habent, & obtinent, secundum Abb. in c. clericus. in 2. de vita & honest. cler. cuius opinionem fere unanimi sententia probant omnes in d. c. vnico. de cler. coniug. in 6.

Sexto, eadem privilegia quæ in d. cap. vnico. concessa sunt clericis coniugatis, tonis quidem, & clericalibus vestibus amictibus, etiam conueniunt his clericis coniugatis, qui negotiationi operam dant: cum his coniugatis licita videatur quædam honesta victus causa negotiatio, quamuis alioqui clericis alijs sit interdicta, arg. c. Ioannes. de cler. coniug. Atque ita notant Francus in d. c. vnico. col. 3. & Alex. in d. conf. 8. solum. vlt. lib. 1. tamen si Ioan. Imo. in d. c. Ioannes. col. 2. contrarium probare conetur.

Septimo hæc omnia sunt sic ad amissim intelligenda, vt coniter clericos coniugatos cum vnica, & virgine, tonsura, & vestibus clericalibus vtentes, tantum hæc duo fori, & Canonis privilegia obtinere: quo ad reliqua vero clericorum privilegia laicos omnino ceteri, textus est singul. & ibi gl. Communiter recepta in verbo, ceteris in d. c. vnico. de cleric. coniuga. in 6. vbi Francus multa commemorat privilegia, quæ clericis coniugatis iure negantur, cum alioqui clericis sint, non coniugatis concessa. Idem censere Cardina. in Clemen. 1. de vita & honest. cler. Auferius in Clemen. 1. de offic. ordlin. not. ab. 3. Domin. in capit. 1. de offic. vicar. lib. 6. col. vlt. & Paulus Parisius in conf. 40. num. 20. lib. 4. præsertim clericis coniugatis, etiam cum vnica, & virgine, & qui vestibus ac tonsura vtantur, iure negatur privilegium immunitatis, quo ad Gabellas, Munera secularia, Indictiones, Collectas, aliave quæuis Regalia obsequia, censum, & his similia. Nam hæc subire tenentur hi clerici, sicuti subeunt, & præstant omnino laici. Quod in specie adnotarunt gloss. memorabilis in d. c. vnico. in verb. ceteris. & ibi omnes. Panorm. in c. ex parte. de cleric. coniug. Guido Papæ questione 383. Bertachinus in tract. de Gabellis. 6. part. num. 12. Angelus in auctor. de monachis. §. penult. Ioannes Mauricius in repet. l. vnica. C. quo loco mulier munera subire soleat. lib. 10. pag. 75. quorum Opinio Communis est, & ab omnibus probatur in d. c. ex parte. atque item lege Regia. l. 2. §. 4. l. 2. ord. l. hodie. l. 2. §. 4. lib. 5. Recop. J. & l. 13. m. 3. lib. 1. ord. quibus quidem legibus constat definitum esse, quod clerici primæ tonsuræ non coniugati liberi sint & immunes ab omnibus, Subsidijs, ac Tributis, & Indictis, à quibus clerici in sacris constituti liberi censentur. Quam opinionem iure probant Guido Papæ, & alij auctores modo citati. Et est communis opinio atque intellectus ad omnes iuris Canonici constitutiones, quibus clericis eximuntur ab his muneribus secularibus personaribus quidem, & mixtis. Hoc ipsum poterit probari multis locis vtriusque iuris, in quibus appellatione clericorum continentur & clerici primæ tonsuræ: de quibus agere nunc omittam, traditur etenim in c. clericis. de iud. & in Rubr. de vita & honesta. cler. per Dec. in c. 2. de præbendis. tex. elegans in hac specie in l. presbyteros. C. de et. s. cler. Sunt tamen qui opinentur, hanc conclusionem admittendam fore, cum clerici primæ tonsuræ probam & honestam viuendi rationem sectantur, saltem vestes, & tonsuram non dimittentes: quod deducere videntur ex Innocentio in cap. 1. de Apost. Thomas Parpalias in repet. l. placet. C. de sacrosanct. eccles. Ioannes Mauricius in d. l. vnica. pag. 73. tenet idem Guido Papæ in qu. 381. Nam vt refert Matthæus de Afflict. in consil. Neapolitan. Rub. 3. nu. 13. Carolus secundus Neapolis Rex per constitutionem Regiam idem visus est statuisse, ita iura Pontificia interpretatus. Quæ quidem interpretatio non est fortassis à mente iuris canonici aliena hæc præsertim temporibus, quibus tot clerici primæ tonsuræ absque tonsura, & vestibus passim vagantur, moribus, & vitæ honestate à ceteris laicis minime distincti: imo propter privilegia peccandi licentia ipsis multo peiores in maximum Christianæ Reipublicæ dispendium, potissimum hæc in re, cum alij laici sint eorum clericorum onera subituri: quod illis satis graue, & molestum est: quippe quibus constat, hos clericos primæ tonsuræ, qui ab his oneribus immunes esse contendunt, nec vestibus, nec tonsura, clericos esse, nec alicui ecclesiastico ministerio vacare, nec id ipsum vel minima ex parte cogitantes. Vnde cum hæc exemptio iure sit tantum humano instituta, plurimum poterit circa eius vim & usum consuetudo legitime præscripta: maxime non erit eius quæuis interpretatio Reipublicæ conueniens abiicienda, cum de muneribus agatur, quæ mixta sunt, & ratione rerum temporalium personis quo ad census, & pecuniæ contributionem indicuntur. Etiam si iuxta iuris canonici rigorem cle-

rici primæ tonsuræ non sint priuati: hoc privilegio ex eo, quod tonsuram & vestes dimiserint, nisi prius tertio moniti in hanc incidenter contumaciam, sicuti notat Imol. in c. vlt. col. 1. de vita & honesta. cler. & idem probat Regia l. 2. §. 4. lib. 1. ordinar. sufficeret tamen ea monitio, quæ sit per publicationem constitutionis Alexandrinæ, cuius statum cap. sequenti mentio fiet. Vidi semel Regias literas in hoc decretas, vt clerici primæ tonsuræ etiam non coniugati, cogantur soluere Decimam partem pretij, quo res proprias etiam seclusa mercimonij, & negotiationis causa, vendiderunt. Quod ius Alcanala Hispani, alij Gabellam appellant, cum tamen ius Pontificum in d. c. quæquam de censu. in 6. non minus hanc exactionem, quam alias in clericorum rebus, & personis prohibuerit. Vnde fateri oportet, posse multum in hisce immunitatibus consuetudinem. Tandem Philippus nostri constitutionibus decretum est, clericos in minoribus constitutos, non habentes ecclesiasticum beneficium, etiam non coniugatos minime eximendos fore à solutione Gabellarum, & aliarum publicarum indictionum: quantum & ij alioqui in criminibus gaudeant privilegio fori. l. 2. ad lib. 1. Recopilat. J.

## CAPVT XXXII.

Rursus agitur de clericis primæ tonsuræ, qui nondum matrimonium contraxere.

## S V M M A R I A.

- 1 Traditur Alexandri Sexti constitutio, qua de tonsura & vestibus clericis tractatur.
- 2 Clericus in sacris constitutus quando puniri possit per iudicem seculares absque degradatione, & traditione.
- 3 Clericus primæ tonsuræ puniri potest quandoque per seculares iudices absque ulla solenni degradatione.
- 4 Ordo ecclesiasticus post delictum assumptus, quando liberet quem à iurisdictione iudicis seculares.

Hæcenus, etiam si de clericorum exemptione tractauerimus, illud peculiari conatu agere constitutum vt quid de clericis primæ tonsuræ apud iudices seculares seruandū sit, summam responderemus, distinctionem illam explicaturi, quæ frequenter fieri solet, dum clerici coniugati ab his, qui vxores nondū accepere, quod ad aliquot iuris effectus segregantur, de coniugatis autē iam multo diximus: & ideo nunc de his, qui coniugati non sunt, expecto quædam præctis vtilia explicare: Clerici sane primæ tonsuræ, qui coniugati non sunt, quo ad criminalia & civilia, exempti à potestate seculari censentur secundū Communem in d. c. vnico. de cleric. coniug. in 6. & in c. quælibet. & c. clericus. de iud. quæ probatur in c. 2. de foro comp. moribus tamē receptum est, quod clerici primo tonsuræ, etiam non coniugati non possint vt præscriptione fori in euilibus: nec temere quidem, præsertim quo ad clericos, qui nec tonsura, nec vestibus vtuntur, nec ministerio ecclesiastico vacare satagunt. Idcirco illud erit prænotandū, clericos primæ tonsuræ, qui coniugati non sunt, quo ad criminalia exemptos esse à potestate iudicij secularium. Nec hi clericis privilegium istud amittunt ex eo, quod vestibus, & tonsura non vtantur, donec tertio moniti fuerint, & nihilominus in eadem perfecterent contumacia, quemadmodum probatur in cap. in audientia. de sen. excom. gloss. communiter recepta in c. ex parte. in 3. de privileg. Panorm. in c. rux de Apostasia. Henric. in c. cum non ab homine de iudi. Fulg. consil. 157. Alex. in consil. 8. solum. pen. lib. 1. & est Communis Opinio in c. vnico. de cleric. coniug. licet in hisce coniugatis clericis hæc monitio necessaria nō sit, vt illic omnes fatetur. Extat tamen inter Regias huius Regni leges Alexandri Sexti Pōtificis Maximi cōstitutio hac de re lata, etiā quo ad clericos primæ tonsuræ, qui coniugati nō sunt. Etenim illic statuitur, clericos primæ tonsuræ quoscunque etiā si liberi sint à matrimonio, nō esse exemptos nec immunes in criminalibus causis à iudicibus secularibus, nisi tēpore commissi criminis, & quatuor proximis ante mensibus tonsura, & vestibus clericalibus vsi fuerint. Quæ quidem cōstitutio continetur inter huius Regni præctas. 21. & data fuit anno Domini 1492. [hodie l. 6. cum 6. l. 4. l. 1. Recop. J. cuius interpretationē tradere conatur doctissimus Petrus Auedanius in tract. de exequen. mandat. cap. 22. sed & idem omnino concessum est à Leone decimo Pontifice Maximo Francif. Gallorum Regi: quemadmodum meminere Nicolaus Boerius decisione 69. numer. 13. Challanæ. in consuetud. Burgund. rubric.

rubric. 1. §. 5. vers. Archidiacon. numer. 46. Carolus de Grassalia.  
lib. 2. Regalium Francie, iure 17.

Est tamen vtraque sanctione constitutum ad eius vim, & vim, quod à iudicibus ecclesiasticis, & prælatibus publicetur, & promulgetur hæc summi Pontificis constitutio tribus primis dominicis quadragesimæ, quæ hæc publicatio sit sufficiens monitio ad constituendum clericos primæ tonsuræ in econtumacia ex qua fit satis, vt privilegio fori priuenter ipso iure. Hæc vero publicatio passim à iudicibus ecclesiasticis præmittitur non alia ex causa, quam vt eis liberum sit, quoscunque primæ tonsuræ clericos, qui dimissis vestibus & nulla tonsura ornati delictum commiserint, censuræ & excommunicationibus à iudicibus secularium potestate euellere, ac impunitos dimittere data criminum impunitate: sic etenim quotidie fraus fit Alexandrinæ constitutioni. Id ipsum fieri in regno Neapolitano conuenitur Matth. de Afflic. in consil. Neapolit. rubr. 3. num. 12. Quæ ratione Regium supremum Castellani Regni prætorium huic malo obuiam ire poterit, si per literas Regis quolibet anno admoneat iudices ecclesiasticos, sub his conditionibus, quæ eis fieri solent, vt Alexandrina vantur cōstitutione: aut præcipiat secularibus iudicibus, quod ecclesiasticos, datis semel literis Regis, requirunt ad prædicta constitutionis publicationem, cuius testimonium publicam accipiant. Quæ quidem in re oportet, non mediocrem diligentiam adhiberi ab ipsius Regis aduocatis fiscalibus, quibus in his, & similibus reipublicæ, & secularis iurisdictionis defensione dubio procul incumbit.

Sed & Alexandrina cōstitutione primum hoc deducitur, quod iuris communis responsis contrarium palam videtur: nempe sufficere generalem monitionem, vt primæ tonsuræ clerici non videntes tonsuræ, & vestibus, privilegium fori amittat ipso iure: cum alioqui iure communi ad hoc foret, & est necessaria monitio specialis in personam nominatim facta, vt probat text. elegas, & illic Card. Imo. & omnes in cle. 1. de vit. & honest. cleric. atque ita hæc cōstitutionem esse in hoc iuri communi contrariam asseuerat Nicol. Boerius in d. decis. 69. nu. 13.

Secundo ex eodem Alexandri sexti decreto apparet, clericum primæ tonsuræ, qui post monitionem illic præscriptam non fuerit vsus tonsuræ, & vestibus clericalibus, quocunque in crimine puniri posse per iudicem secularem absque vlla degradatione, & traditione solenni facta ab ipso iudice ecclesiastico. Etenim cū illæ generalis monitio censetur ab Alexandro summo Pontifice sufficiens, vt clericus primæ tonsuræ iure ipso privilegium amittat fori, manifeste consequitur, posse ipsum capi, & puniri à iudice seculari absque vlla solenni degradatione: legitima siquidem monitio idem operatur, quod actualis degradatio, cap. cum non ab homine, de iudic. notat expressim Ancha. in reg. qua. 9. 12. de re iud. in 6. Quæ in re hæc cōstitutio quid notum inducere videtur, secundum Boerium in d. decis. 69. nu. 17. qui non satis explicat, an hoc sit in quocunque crimine intelligendum: nec quid olim iure veteri fuerit statutum: idcirco exponere oportet huius questionis breuem quandam resolutionem, vt distincte percipere possimus, quanam fuerit olim, & sit nunc Doctorum hac in re controuersia.

Primum etenim illud constat, omnino distingui à prædicta specie, & questione illam disputationem, qua tradit solet, an clericus in sacris constitutus, qui grauissimum, & atrocissimum commiserit crimen, sit à iudice ecclesiastico degradandus, & tradendus iudici seculari. Nam & ista questio tunc etiam obrinet, cum nulla sit facta dimissio tonsuræ, nec vestium clericalium: quemadmodum nos tractauimus lib. 2. variar. resolut. cap. 20. num. 7. est etenim, vt fatentur omnes, necessaria Degradatio & traditio, nec iudex secularis puniri poterit clericum in sacris constitutum absque degradatione & traditione propter quocunque grauissimum crimen, quod apparet ex notatis. in cap. cum non ab homine, de iud. cap. nouimus, de verbor. significat. cap. ad falsarioru. de crimi. falsi. cap. ad abolendam. de hereti. tamen propter crimen Assassini iure Pontificio sit statutum clericum etiam in sacris absque vlla degradatione puniri posse per iudicem secularem: sic probat text. in cap. 1. de homicid. in 6. cuius veram interpretationem ipse itidem tradidi in d. c. 20. num. 10.

Secundo est adnotandum, clericum, etiam in sacris constitutum, qui tamē sit vere incorrigibilis, posse absque vlla

degradatione puniri per iudicem secularem text. Singularis in d. cap. cum non ab homine, de iudic. quem ita intellexere Ioan. Andre. Card. & Imol. ibi. Quorum Opinio mihi Communis est: siquidem fere omnes hanc questionem tractantes idem manifeste præmittunt & probant. Nam si rem istam diligenter scrutemur, ratio hoc ipsum probat: cum ex d. ca. cum non ab homine, ad hoc vt censetur clericus incorrigibilis, multa, quorū illic mentio fit, sint necessaria, ex quibus merito deducitur, ex trina monitione, & ex alij iustissime fori privilegium amitti à clerico ita incorrigibili, & contumace.

Tertio his erit adiciendum, quod clericus in profundum malorum delatus, quique dimissis tonsura & vestibus clericalibus, multis se immiscuit enormibus delictis, ipso iure est privilegio clericali etiam fori destitutus, quamuis saceris fuerit ornatus ordinibus, atque ideo poterit absque degradatione & traditione puniri per iudicem secularem: modo ita sit his clericis deditus, vt inueteratus dici possit scelerū minister. Nec est in hoc casu necessaria trina monitio, quæ alioqui iure ordinario requiritur. Huius opinionis auctores sunt gloss. in cap. ex parte. in 3. de privileg. Holbent. Ioan. Andr. & Anton. in cap. perpendimus. illius cap. in h. b. r. de sentent. excomm. Anchara. in reg. ex qua. quest. 12. de reg. iur. in 6. quorum Opinio Communis est, vt asserit Aufrer. in Clement. 1. de offic. ordin. regu. 1. fallen. 19. quibusque patrocinatur text. in c. unico de vita & honestate clericor. vbi traditur casus, in quo clericus, etiam in sacris absque vlla degradatione amittit privilegium clericale omnino ipso iure, etiam quo ad forum iuxta communem illius text. interpretationem. His item accedit text. in cap. 1. de Apostat. quo itidem communis hæc probatur sententia, à quo non audeat dissentire Henricus in cap. ex literis. cap. pend. de vita & honestate clericor. scribitque Chassan. in consuetud. Burg. rubr. 1. §. 5. versicul. Archidiaconus. numer. 55. eandem opinionem cōmuniter praxi receptam esse, & nihilominus multis hoc displicet: quippe quibus graue nimis videatur, clericum nulla legitima monitione præmissa, privilegio fori priuari ex eo, quod dimissis vestibus, & tonsura multis etiam enormibus criminibus operam dederit, & seipsum immiscuerit. Sic etenim Anchara. in d. c. 1. de apostat. scribit, illius capituli responsum non esse obseruandum, nisi in specie & casu, quo loquitur Panormit. item & Card. in c. perpendimus. illam decisionem tantum intelligunt, quo ad privilegium canonis: non autem quo ad forum. quod etiam probant Alexand. consil. 8. l. b. 1. n. 2. Soci. consil. 12. l. 1. col. 7. dunt Abbatis distinctionem sequitur, & Angel. in verb. clericus. 10. quest. 1. & Syluest. in verb. clericus. 3. §. 9. nec obierit. text. in d. ca. 1. de vita & honestate clericorum, in 6. quia illa constitutio penalis est, & ideo non est ad alium casum extendenda, vnde mihi potius placet posterior opinio aduersus cōmunem, maxime in clericis constitutis in sacris ordinibus. Nam in his non video, quo iure satis probetur communis opinio nisi forsitan crimen aliquod ita in reipublicæ pernicie fuerit à clerico perpetratum, vt pium sit, & æquissimum cōmunem admitti sententiam, eo præsertim casu, quo si degradatio iudicis ecclesiastici expectanda foret, subit maxima suspicio libertatis & impunitatis.

Vtunque tamen sit, opinor ipse, moribus receptam esse communem sententiam in clericis primæ tonsuræ quantum & hi sint solennibus quibusdam ceremonijs degradandi: vt in libro Pontificali traditur. Nam vsus obtinuit forensis, vt hi clerici primæ tonsuræ, si dimissis vestibus, & tonsura, enormia crimina frequenter commiserint, absque vlla degradatione puniantur à iudice seculari. Sic etenim cōmunis opinio admitti poterit, vt tandem privilegium fori ex hoc omnino admittatur ipso iure à clericis in minoribus ordinibus constitutis. Et idem erit, vbi clericus primæ tonsuræ, etiam tonsus, nec dimissis vestibus crimen aliquod atrocissimum commiserit, propter quod foret in sacris constitutus, alioqui curæ seculari tradendus, præmissa degradatione. Hic equidē absque degradatione puniri poterit per iudicem secularem: quod constat ex traditis exemplis ab Aufrerio, in d. limit. a. 9. & Boerio decisio. 71. num. 17. notant optime Chassan. in consuetud. Burg. rubr. 1. §. 5. versicul. Archidiaconus. 69. Gulielm. Benedictus. in c. Reynardus. de testam. in verb. & uxorem. in 2. nu. 440. Petrus Auentanus in tract. de exequendis mandatis cap. 22. nu. 3. quibus accedit quod de clericis primæ tonsuræ tradit Io. Bernardus Episcopus Calagurritanus in practica crimina. c. 90. quo in loco censet opinionem Abba. & Anchar. de degradatione clericorum cōmittentium atrocissimum

cissimum crimen, & traditione curiae seculari alioqui dubiam: ut illic ipse tradit, & nos disputauimus *lib. 2. variat. resol. cap. 20.* admittendam esse in clericis primam tonsuram tantum: non in aliis, qui sacris ordinibus fuerint donati: sed & hanc opinionem Chassanxi, Gulielmi, & aliorum plurimum conuocant quae nos tradidimus in *cap. quia nos. de testam. num. 4.* ubi mentionem fecimus obiter huius consuetudinis, receptaeque apud practicos iudices opinionis: atque item adduximus ea, quae in contrarium citari poterant. Sic intelligenda sunt, quae nimis succincte in hac specie definire teneant Hippol. in *conf. 8. num. 17.* & Caro. Molin. in *Alex. conf. 8. lib. 1. colum. 3. littera B.*

Ex quibus deducitur, in omnibus, & quibuscunque criminibus admittendum esse, quod Boerius ex Alexandri constitutione intulit: ut absque vlla degradatione, & traditione solenni iudex secularis punire possit clericum in minoribus ordinibus constitutum, qui contra illud Alexanderium non fuerit nec tonsura, nec vestibus vsus clericalibus. Quod satis manifestum fit ex ipsius constitutionis mente, & verbis.

Sed & tertio principaliter ex dicta constitutione Alexandri constat elegans, ac noua in hac quaestione conclusio ad hoc quidem, quod licet is, qui post commissum crimen ordinem ecclesiasticum acceperit, possit per iudicem saecularem puniri quo ad rerum, & bonorum condemnationem, non tamen quo ad corporis poenam iuxta communem Doctorum sententiam ex iure veteri deductam: hodie tamen, auctoritate dictae constitutionis, & clericus, qui eum assumpserit ordinem post crimen commissum, poterit a iudice saeculari puniri, etiam corporalibus poenis: quia tempore commissi criminis nec tonsura nec vestibus utebatur clericalibus. Sic sane nouam istam conclusionem a constitutione Alexandri deduxit doctissimus Auedanius in *tract. de mand. exequendis. cap. 22. nu. 7.* Ego vero satis dubius sum hac de re, quippe qui opinor, summum Pontificem nihil voluisse mutare circa clericos illos, qui post delictum commissum ecclesiasticum ordinem acceperint: cum de his tantum tractauerit, qui tempore delicti tenebantur iure Pontificio tonsura, & vestibus clericalibus uti: esset enim satis à re proposita, & petita omnino alienum, tonsuram, & vestes clericales exigere in his qui essent vere laici nullo quidem ordine ecclesiastico insigniti. Nam de his, qui laici erant cum crimen fuit perpetratum, nihil est petitum à summo Pontifice, nec ab eodem responsum, aut decretum. Siquidem hi non tenebantur tunc, nec poterant tonsura simul, & vestibus clericalibus uti, eosque voluerit summus Pontifex culpa notare ad amittendum fori priuilegium, qui tenebantur tonsura, & vestibus clericalibus uti: ut constat ex ipsius constitutionis serie, vnde sequitur, quod si quis fuerit prima donatus tonsura, quam & vestes clericales nusquam dimiserit, & tamen intra tres menses à die tonsurae crimen aliquod commiserit: non erit per iudicem saecularem puniendus ex eo, quod quatuor mensibus ante crimen commissum tonsura, & vestibus non fuerit vsus clericalibus. Nec iudex saecularis ius habet puniendi hunc propter Alexand. constitutionem: cum illa tantum afficiat & complectatur illos, qui culpa notari possunt: quippe qui nec tonsura, nec vestibus uti fuerint clericalibus tempore commissi criminis, & proximis quatuor mensibus: non autem illos, qui culpa hac in re omnino carent, qui non tenebantur vel tempore delicti commissi, vel quatuor proximis mensibus tonsura, & vestibus uti nondum eo tempore ecclesiasticum ordinem habentes. Quod si ratio viri doctissimi esset admittenda, necessarium esset à iudice saeculari puniendus is, qui tribus aut duob. mensib. ante delictum acceperit ordinem primae tonsurae, qua & vestibus fuerit legitime vsus post eius adsumptionem, non tamè antea, & sic quatuor mensibus ante commissum crimen. Quod mihi nec placet nec videtur iuri probari posse. Quamobrè censeo nihil noui posse deduci ab illa constitutione Alexandri VI. circa illos, qui post delictum fuerint promoti ad primae tonsurae gradum. Idcirco eorum ius, & exemptio à iudice saeculari erit examinanda his rationibus, & auctoritatibus, quibus examinari, & expediri poterat ante praedictam constitutionem. Qua in re licet multa sint ab aliis tradita, nos pro facili huius quaestionis cognitione aliquot explicabimus conclusiones.

Prima conclusio: Ecclesiasticus ordo post delictum com-

missum ab aliquo absque vlla fraude susceptus, eum omnino liberat à iurisdictione iudicis saecularis. Hoc probatur argu. text. in *l. hos accusare. §. hoc beneficio & veritate. magister. ff. de accus. vbi Angel. & Alber. in l. qui cum vno. §. reu. §. de re mil. notatur in c. propositi. de for. com. & in l. si quis postea. §. de iudic.*

Secunda conclusio: Ordo ecclesiasticus post delictum ab aliquo adsumptus, fraude tamen & dolo, ut iudicis saecularis. Quod probatur in *d. l. hos accusare. vers. dum non retractandi causa. l. si maritus. §. legio. ff. de adul. l. vi. ff. de re mil. l. 1. C. qui milit. poss. lib. 12. ex quibus & aliis vtrunque conclusionem tenent Oldrad. *consil. 4. Bart. elegant. in l. 1. ff. de pena. Ioan. And. & alij in c. 1. de obli. ad ratiocina. quorum Opinio Communis est. ut constat ex citatis per Aufrer. in *Chem. 1. de off. ord. reg. 1. fallent. 11. per Hippol. in *sing. 534. latissime Lambertii. in c. 1. de heret. in 6. q. 13. qui has conclusiones post alios quorum ipsi meminere, sequuntur, qui quid scripserit Bellamera in c. propositi. qu. 2. de foro compet. qui absque vlla fraudis distinctione censent, non posse hoc crimen puniri à saeculari.****

Fraus vero maxime praesumitur, si quis post delictum commissum, & ante susceptum ordinem fuerit accusatus, vel denunciatus, aut sane infamatus. text. *optim. in l. vi. ff. de bonorum qui mor. sibi consci. & in d. l. vi. ff. de re mil. notatur in l. si quis postea. §. de iudic. & l. §. adulter. §. si e. tempore. ff. de adul. quemadmodum Bart. & alij fatentur: sed & in vniuersum fraudem praesumi ex eo quod post crimen commissum timore saeculari punitionis, quo ordinem suscepit allerit Bald. *lib. 2. C. an seruus ex suo facto.**

Tertia conclusio, ubi ratione fraudis qui post delictum ordinem adsumpsit ecclesiasticum, adhuc manet sub iurisdictione iudicis saecularis, non poterit per eum poena corporali puniri: sed tantum bonorum, & rerum multae, & amissionis. Hanc conclusionem probant, & sequuntur Ioan. And. in *cap. 1. de obligat. ratiocina. Bart. in d. l. 1. & omnes paulo ante citati, ex quibus haec est Communis Opinio. Atque ita hanc opinionem adferuarat communem esse Aufrer. in *d. fallent. 11. erit tamen hoc in articulo illud obseruandum, quod si crimen mortis poenam exigat, aut mutilationem membri, erit clericus hic degradandus per episcopum & tradendus curiae saeculari, ut opinatur Guliel. de Cuneo, Iacob. Buttrig. & Barto. in d. l. 1. §. de penis. Ial. in *l. cum quidem. ff. de iur. di. ord. in d. num. 10. Bald. in l. 1. num. 2. C. an seruus pro suo facto. Dynus in *litem. vbi. ff. de accusat. Anchar. in regul. ea que de reg. iur. in 6. q. 13. Aufrer. in d. fallent. 11. & quia iudices ecclesiastici, & episcopi nolunt uti hac degradatione: fortassis iuste, cum nullibi iure Pontificio hoc in casu sit permessa, teste Antonio Butr. in d. c. 1. col. 4. de obligat. ad ratiocina. saeculares iudices absque hac solemnitate nihilominus propriam sententiam ad mortem vsque exequi solent, licet maleficiat, ut testatur Bart. & omnes modo nominati commemorati, sed si clericus hic tantum sit prima tonsura donatus, poterit absque vlla solenni degradatione per iudicem saecularem puniri etiam mortis poena: ex his, quae superius diximus in vers. vtrunque tamen fit.****

Ceterum quidam hac in quaestione opinantur, satis esse, ut laicus criminis alicuius auctor effugiat forum iudicis saecularis, & eius punitionem, quod ante delictum votum fecerit vel religionis, vel ordinis sacri suscipiendi. Nam ex hoc non poterit puniri per iudicem saecularem: cum votum hoc delicti commissi tempore praecesserit. Sic sane visum est Iaso. in *d. l. cum quidem. num. 11. Hippol. in *singul. 534. Gerard. in *singular. 41. Chassanxi in *consuet. Burg. rub. 1. §. 4. vers. Arch. num. 68. qui tamen scribit, se non credere, quod hac opinio à practicis admittenda sit. citatur ad hanc sententiam Bald. in l. 1. Cod. an seruus ex suo facto. qui illud tantum allerat, quod qui ante delictum votum emisit, & post delictum sit effectus voti executione clericus aut religiosus, non possit puniri per iudicem saecularem: quasi maxima sit praesumptio bonae fidei, & nullam subesse fraudem mutationi status. atque in hunc sensum qui proprius est, & à praecitatis auctoribus traditur, posset admitti opinio Iasonis, à quo plurimum hoc commendatur ex eo, quod probatio voti fieri possit iuramento proprio ipsiusmet. videntis. In his etenim, quae in animo consistunt: Probatio sufficiens iure, censetur ea, quae proprio iuramento fit. glo. in *l. elegans in c. si quis in primo. de homicid. vbi omnes gloss. in c. si vero in 2. de sentent. excommunicat. alia in §. si iste. & illic Iason. in 89. in fine. de actioni. gl. in l. qui natura. §. cum me absente ff. de negot. gest. optimis.*****

optimus in c. pastoralis de except. late Hipp. in rub. C. de probatio. n. 12. Alciat. in tract. de presum. reg. 2. presumpcio. 10. Bar. in L. inter omnes. §. redit. ff. de furtis. Arcet. in L. in verum. §. quod ex naufragio. ff. de acquir. cul. possessio. quæ quidē conclusio tunc admittenda est, cum de modico præiudicio agitur: non autem vbi de maximo sit præiudicio agendum. tunc etenim maior ac certior probatio requiritur, saltem ea erit necessaria, quæ fieri ea de re communiter possit: vt notant Domin. in c. eos. de temporib. ord. in 6. Abb. in c. quosdam de presump. Felin. in c. cognoſcentes. de constitut. num. 14. & Hippolyt. in singul. 635. Vnde cū in hac specie de maximo agatur præiudicio: nempe de grau. ac enormi læsione reipublicæ, & iurisdictionis secularis: ac denique Bald. & Iasonis sententia non sit satis iure probata, nec conueniat criminum iustæ punitioni, minime mirabimur, etiam si viderimus, eam in praxi refelli. opinor equidem non esse iustum, eam admitti, præsertim recepta illa tantum probatione, cuius à Iasone mentio fit. Nam et si probetur plene votum olim à delinquente factum, non est omnino excludenda illa suspicio fraudis, quæ solet in hac specie subesse, ac contingere propter frequentes hominum cautelas, quibus passim vtuntur hi, qui iurisdictionem iudicis secularis ad liberius delinquendum effugere conantur. Sed & post huius operis secundam editionem, in Concilio Tridentino, cui ipse interfuit tunc episcopus Cuiatensis, anno Domini 1563. editum fuit decretum, quo sancitum est de his clericis primæ tonsuræ, *sessio. 23. cap. 6.* quo ad fori priuilegium, eos eodem minime gaudere, nisi beneficium ecclesiasticum habeant, aut clericalem habitum & tonsuram deferentes alicui ecclesiæ de mandato episcopi seruiant: vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel vniuersitate, de licentia episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versentur.

## CAPVT XXXIII.

Agitur item de Iurisdictione seculari quo ad clericos, præsertim ad breuē iurisdictionem, *capitul. si iudex laicus. de sentent. excommunic. in 6.*

## SYMMARIA.

1. Iudex ecclesiasticus, non secularis, cognoscit de quaestione illa: an clericus captus à seculari sit remittendus ad forum ecclesiasticum.
2. Exceptio declinatoria fori proponi potest à clerico apud iudicem secularem, etiam post sententiam, qua transierit in rem iudicatam.
3. Clericus quomodo probari possit.
4. Lite pendente apud iudicem ecclesiasticum, clericus detineri debet reclusus in carceribus.
5. Remissio clerici, cuius expensis fieri debeat.
6. Clerici primæ tonsuræ, qui simul Regiam, & secularem iurisdictionem deſpiciunt, que patiuntur iure Regio incommoda.
7. Clerici arma portantes, an possint per iudicem secularem puniri.

Solent non leues oriri contentiones inter iudices ecclesiasticos, & seculares super criminali punitione clericorum: & frequentissime controuertitur de his clericis, qui tantum primæ tonsuræ gradum assumpserint: cum de his puniendis iudices seculares, plerumque contendunt propter communem cum laicis viuendi rationem. Et tamen summus Pontifex in *cap. si iudex laicus. de sentent. excommunic. in 6.* regulam quandam edidit & constituit, ex qua certa posset assumptio definitio in ea quaestione, an pendente lite super exemptione & clericatu, sit statim clericus à iudice seculari captus remittendus ad ecclesiasticum vel manere debeat apud secularem, donec probatione, atque ordinaria cognitione fuerit decitum per sententiam, clericum illum habere priuilegium fori, & ideo remittendum esse, etiam quo ad principalis causæ cognitionem ad iudicem ecclesiasticum, Hæc etenim Pontificia responsio est semper præ oculis habenda: quia celebris est, & eam præter Doctores ibi maxime commendarunt Bald. in l. si qua per calumniam col. 2. C. de episcopo & clericis. & Capolla in consil. 11. col. 3. & consil. 10. qui quamlibet eius constitutionis partem peculiari adnotatione perpenderunt, idcirco & nos multa hoc in loco summam ad eius intellectum adnotauimus.

Primum illud est prænotandum, quod huius causæ cognitio, cuiusque definitio pertinet ad iudicem ecclesiasticum, non ad secularem: atque ideo iudex ecclesiasticus tractabit, an captus per secularem iudicem, vel apud eum accusatus sit clericus, & ecclesiasticæ iurisdictionis. Quod

probat in d. c. si iudex. vbi huius rei ratio traditur ex eo, quod de re spirituali vel ecclesiastica sit agendum: id est de ordine. Eandem opinionem, quæ satis communis est probant, & sequuntur omnes in d. si iudex. & in c. unico. de clericis. c. iug. in 6. præsertim Francus illic, *col. 3.* Rota iudices decif. 202. in nouis. Fulgos. in consil. 124. Alex. in consil. 8. col. 3. lib. 1. quibus etiam suffragatur, quod vbi contingit questio inter iudicem ecclesiasticum, & secularem super iurisdictione, iudex ecclesiasticus propter maiorem auctoritatem cognoscat, an sua sit iurisdictione. secundum Anton. Butr. in c. ceterum. col. 3. de iudic. Felin. & Dec. in c. pastoralis. in princip. de rescriptis. & Ia. in l. 2. ff. si quis in ius vocatus non ierit. col. 5. atq; ita apud Hispanos hæc sententia omnino feratur: si quidem iudex ecclesiasticus cognoscit de clericatu, de tonsura & vestibus. Quod non tantum iure Pontificio verum est, sed æquissima ratione constat: modo iudices ecclesiastici non temere, sed iuxta iuris canonici decreta, Romanorum Pontificum sanctiones, & ipsius reipublicæ vtilitatem negotium hoc, absque vilo animi peculiari affectu tractare, & expedire conentur, zelo quidem iustitiæ, non ambitione defendenda iurisdictionis, & liberandi sceleratissimos homines, reipublicæ pestem, & perniciem à iustissima iudicis secularium punitione. Apud Gallos huius controuersia cognitio ad secularem iudicem pertinet, ab eoque lis tractatur, & expeditur non admittitur, nec recepta decisione Bonifacii octauo in d. c. si iudex. sicuti testatur Guid. Pap. q. 138. Io. Gallus q. 38. qui quidem authores conantur vsum istum forentem Gallia defendere, quasi non sit omnino contrarius responsioni Pontificis: quæ intelligenda est, quoniam de clericatu tractatur: vt tunc cognitio pertineat ad iudicem ecclesiasticum, non ad secularem: qui tamen poterit de causa ista cognoscere, vbi sit questio de vestibus clericalibus: an his fuerit vtilis, qui apud secularem accusatur, aut detinetur in carceribus. Sic sane Gallia iudicalem stylum præcari auctoritates, & intelligunt, & iure verum esse censent. Sed vt cunque sit, ipse non dubito, hanc opinionem Guidonis, & Io. Galli, falsam esse, & omnino contrariam communi omnium sententiæ, ac denique Pontificæ responsioni, quæ in hoc tendit, vt cognitionem clericatus, & eius quaestiois, vtrum captus à iudice seculari gaudere debeat priuilegio fori, deferat iudici ecclesiastico, non seculari. Id etenim, vel ex eo probatur, quod summi Pontifices, & eorum constitutiones formam præscripserint, qua in tonsura, & vestibus vti debent, & tenentur clerici, vbi constat. Et ideo iudices ecclesiastici ius habent, non seculares ac cognoscendum, an clericus iuxta canonicas sanctiones fori priuilegium amiserit ex eo quod tonsuram ac vestes clericales dimiserint: cum hoc totum negotium iuris sit Pontificij, non Cæsarei. Quamobrem non potest iure defendi forentis Gallia vtilis, etiam ita intellectus, vt Guido & Ioan. Gallus intellexerint, præsertim, quod vtilis ille itidem obtinuit, vt iudex secularis nullo modo in casu cognoscat, an clericus captus sit remittendus ad iudicem secularem, siue agatur de ipso clericatu, siue de tonsura, vestibusq; clericalibus: vt fatentur Carolus Molin. in Alexandrum consil. 8. lib. 1. col. 3. & Ioan. Rupellanus lib. 4. forensium institutionum c. 6.

Secundo est & illud obseruandum, quod clericus alioqui quo ad criminalia exemptus à iurisdictione iudicis secularis, poterit hanc fori præscriptionem, & exceptionem declinatoriam opponere quocunque tempore, etiam post sententiã, quamuis ad eum vsque diem si ipse tacuerit ac seipsum defenderit, & litigauerit coram iudice seculari. Non enim potuit clericus hic consentire in iurisdictionem iudicis secularis expresse, nec tacite saltem in his criminalibus causis, vbi agitur de coercionem, & punitionem personæ. Hæc si diligenti de foro compet. c. significasti. eod. tit. c. at si clericus. in princip. de iudic. sic sane in hac specie notat Chassanatus in consil. Burgi. rub. 1. §. 5. vers. Archi. n. 45. Nicol. Boerius in consue. Bituricensi. tit. de iurisdic. §. 21. in si. & Io. Rupellanus in d. c. 6. præmittit Deci. in consil. 241. asseuerans, ita iudicatum fuisse. Huius opinionis ratio illa quidē reddi solet, quod Declinatoria fori, quæ reddit iudicium ab initio nullum ex defectu iurisdictionis, quæ nec prorogari potuit, nec prorogata censetur, potest quandoque etiam post sententiã opponi, & impedit executionem illius sententiæ, à qua posset alioqui appellari, quemadmodum tradit Fel. in c. exceptione. n. 28. de except. post Ant. Abb. & Imo. ibi tex. optimus secundum vnum intellectum in c. ad petitionem. de accusa. Imo hæc exceptio impedit executionem triem